

Q. D. B. V.
DE
SEPARATIONE
QUOAD THORUM
ET MENSAM,

Occasione

c. 2. X. de Divortiis.

EXERCITATIO SABBATHINA VIII.

Partis Posterioris

Quam

SUB PRÆSIDIO

DN. SAMUELIS FRIDERICI

WILLEM BENG/

Doct. & Prof.

IN ATHENÆI GEDANENSIS AUDITORIO
ORDINARIO,

D. XXVIII. Febr. MDCCXXII. Hora XI.

Instituent

RESPONDENS

JOHANNES SIGISMUNDUS Schulz/ Ged.

ET OPPONENTES

JOHANNES CHRISTIANUS Leglaff, Trept. Pom.

JOH. NICOLAUS Demchen, Gard Boruss.

GEDANI, Typis JOHANNIS DANIELIS STOLLII,
SENATUS ET ATHENÆI TYPOGRAPHI.

e. Quasivit 2. X. de Divortiis.

Quasivit à nobis. Nos itaq; taliter respondemus, quod mulier pro furto vel alio crimine viri sui (nisi fidei sua religionem corrumpere velit) ab eo separari non debet. Verum si conjugem suam ad infidelitatis maleficium traxerit, à viro poterit separari, ita quod ei nubere alii non licebit; quia licet separentur, semper tamen conjuges erunt. In viris quoq; praesentis sententiæ forma servetur.

Conspicetus.

Expliatio definitionis nuptiarum I. præter adulterium & malicio- furtum conjugis VII. ea impetrata- fiam desertionem plures totalis di- non tollitur vinculum conjugale- vortii dantur causæ II. quod in re- VIII. nec bonorum communio IX. sponsio juris Facultates Theologica maritus ad alendam uxorem te- & Juridica Academiæ Viadrina- tur, nisi illata restituat, quando illi agnoscent III. quid separatio qvoad succedat? X. an propriæ divorciorum & mensam? IV. ea petenda sit hæc separatio? ejus effectus & fi- à judice competente. Quis ille? V. nis XI. obtento fine, ulterius con- justa causa petitæ separationis est sæ- iuges sibi cohabitantes, eo frustrato, vitia, etiam uxoris VI item furor, qvoad vinculum separandi sunt XII. grave odium, morbus capitalis,

I.

Nuptiarum definitionem, quam dedit Imper. §. I. f. de P. P. in verbis: *individuam vitæ consuetudi- nem continens arctissimum vinculum conjugum,* quod ad usque mortem duraturum sit, inferre, Interpretes agnoscent. Idque ex voto & intentione contrahientium dependere, & contra eam fieri, si solvatur, sta- tuunt Arnisæus de Jure Connub. cap. 5. Sect. 1. n. 5. L. B. de Fuchs in Paraphr. Inst. ad d. §. 1. Quod tamen aliter expli- cat Illustr. Dn. Sam. à Coccej. & vult, non ipsas nuptias Im- pera-

peratorem vocare individuam vitæ consuetudinem, quia, cum voluntate fiant, etiam contraria voluntate tolli possunt s. fin. Inst. Quib. mod. toll. oblig. Nov. 22. c. 4. sed illis verbis respicere ad ipsam vitæ conjugum consuetudinem, quod, quamdiu nuptiæ durant, consuetudo vitæ dividi non debeat, quando vero conjuges & nuptiæ desinunt, etiam desinat individualitas vitæ consuetudinis, nam certis ex causis, vide L. 9 C. de Repud. impunè à se divortandi jus competere conjugibus, in Jure Controvers. tit. de R. N. qv. 1.

II. Neutra horum explicatione negatur, posse aliquando matrimonium dissolvi. Estque satis notum, concedi inter Protestantes dissolutionem matrimonii vel quoad vinculum, vel quoad thorum & mensam Brunn. in Jure Eccles. lib. 2 tit 17. s. 1. Ad utramque tamen sufficiens causa requiritur. Et quidem ad totalem dissolutionem reputatur talis esse adulterium Matth. XIX. 9. & malitiosa desertio 1. Cor. VII. 15. Insidias vitæ, implacabile inter conjuges odium, pertinacem debiti conjugalis denegationem, intolerabiles mores & animorum disparitatem, aliasve æquè graves causas in Confistoriis non admittunt pro sufficientibus. Principem, tamen ex his divortium quoque concedere posse, alii rectius statuunt 1. quia in V. T. præter adulterium & malitiosam desertionem plures cauæ ad istud admittebantur Deut. XXIV. 1. seq. Malach. II. 16. 2 in N. T. Salvator divortium ob πορνείαν concedit Matth. V. 32 XIX. 9. quæ vox generalis est, & turpitudinem quandam magnorum delictorum denotat, ac male contra mentem Christi ad solum adulterium restringitur, quin planè ineptè, quoniam lege Hebræorum adulteri capite plectebantur, Deut. XXII. 22. quorum non per divortium, sed morte vinculum rumpabantur.

batur, inno cum eo tempore nulla iudæorum lecta fuerit, quæ ob solum adulterium matrimonium dirimendum esse statuisset, Christi effatum eo nec ulla ratione restringi potest. 3. religiosissimi Impp. ex generali istius vocis acceptione plures divortiendi causas in suis legibus permiserunt L. 2. 8. §. 2. & 3. C de Repud. Nov. 117. c. 8. & 9. Nov. Leon. 30. & 31. 4. quia tempore harum Constitutionum Augustinus, Ambrosius, S. Benedictus, Hieronymus & alii Patres ac viri pii vixerunt, qui nulli harum constitutionum contradixisse leguntur, quod procul dubio facturi fuissent, si illas S. S. contrarias esse credidissent vid. c 18. C. 38 qu. 2. Ex quibus & pluribus rationibus in hanc sententiam concedunt Bachov. ad Treutl. V. 2. D. 6. th. 8. lib. C. Joh. Strauch in Insti. Jur. publ. lib. 1. tit. 35. §. 3. Stryk. Diff. de Divort. ob. insid. vit. struct. Brückn. Decis. matrim. P. 2. cap. 16. Dn Böhmer. Diff. de fure Princ. Evangel. circa divort. Dn. Coccej d. Tr. tit. de Divort. qu. 5. Renneman. in Juripr. Rom. Germ. Membr. 1. disp. 42. th. 36. lit. c.

III. Motæ his argumentis tum Theologica tum Juridica Academiæ Viadrinæ Facultates, & requirenti Serenissimo suo Regi ad quæstionem: num totale divortium ob im- placabile odium & immortalem inter conjuges aversionem sa'va conscientia concedere possit? affirmative 1714 responderunt. Expenditur ab illis: divinum istud præceptum: *Quod Deus coniunxit homo ne separet* plenam & perfectam requirire obedientiam, à puro & incorrupto animo profectam, ut substantia matrimonii, quæ est animorum & corporum conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens, sanctè custodiatur. Cum autem Princeps non possit, nec obligetur in hoc statu corrupto suos subditos per media

media externa ad talēm L.L. moralium obedientiam co-
gere, exemplo adulterii hoc illustrante, quod committi
dicitur per aspectum alterius foeminae cum concupiscentia,
& homicidii, quod etiam odio committitur, cum à tali
coactione nulla societas externa constituta esset, indē con-
cludunt: vitandorum gravissimorum malorum causa, ut-
pote cædis, quæ ex compulsione ad continuandum matri-
monium sequerentur, melius facere Principem, si, præter
adulterium & malitiosam desertionem, etiam ex alia gravi
causa per totale divortium dissidentes conjuges separeret, ut-
pote quæ non tam per extensionem, sed comprehensio-
nem sub duabus illis expressis continetur. Extat hoc Re-
sponsum apud Dn. Coccej, d.l. p. 165. seqq. & propter soli-
dam rei deductionem legi meretur.

IV. Sed de hoc divortio paucis saltē ob materiae no-
stræ connexionem. De illa separatione, quæ dicitur fieri
ad thorū & mensam, hic in primis agendum erit. Defini-
nitur, quod sit: *actus, quo iudex ex iusta & sufficiēte cau-
sa, finito processu separationis, conjugibus obligationem mutui
contractus & copula remittit.* Germ. *Ehescheidung zu Tische*
und Bette Bardili in Dissert. de Separat. cohabit. th. 5. Et
hoc divortium Jure Canonico unicum est, quo quoad vin-
culum nullam ob causam matrimonium dissolvitur *c. 2. s.*
X. de Divort. Sanchez. de Matrim. lib. 10 Disp. 2. Jure Civili
penitus ignoratur, nec ad tempus ibi divortium permittri-
tur *L. 3. ff. de divort.* In Ecclesiis tamen Protestantium ista
separatio retenta, tanquam medium, quo vel majora mala
inter conjuges impediuntur, vel. ut in gratiam redeant,
compelluntur. *Stryk. in not. ad. Brunn. Jus Eccles. l. 2. cap.*
47. §. 37.

163

V. Ut

V. Ut ea vero legitimè instituatur, debet peti & impec-
trari à judice competente, non enim arbitrio conjugum
committenda est Carpz. in *Jurispr. Confist. lib. 2. def. 211.*
Brouwer. de *Jure connub.* lib. 2. c. 29. n. 4. Jure Canonico,
quia ibi matrimonialia ad causas spirituales referuntur, nulli
judici seculari, sed soli ecclesiastico super ea facultas conce-
ditur c. 10. C. 35. quv. 6. c. 2. X. de *Judic.* At alia sedet Prote-
stantibus sententia, qui has causas, ut & alias conscientiæ,
Judicis secularis cognitioni non subtrahunt, plerumque ta-
men illas suis Consistoriis delegant, quæ judicia sunt ex per-
sonis politicis & ecclesiasticis constantia Carpz. d.l. Lauterb.
Coll. Pract. tit. de divorc. §. 11. Si autem Principis uxor à ma-
rito suo petat separationem, coram eodem forum suum
agnoscere debet, qvi, remisso fidelitatis juramento illis, qui
ad hoc negotium delegati sunt, speciali juramento eos con-
stringit, quod sine ullius respectu in hac causa secundum ju-
ris & conscientiæ dictum judicare velint. Stryk de *Diffensu*
sponsal. Sect. 6. §. 32. Henric. Lynck. *Dissert. de Immediator.*
Imper. Protestant. foro in causis matrim. sect. 2.

VI. Ideo vero coram judice competente hæc separatio
tractari debet, ut congnoscatur, utrum ex justa quoque causa
petatur. Pro tali autem reputatur I. mariti sævitia, du-
rans adhuc post præstitam cautionem de non offendendo
Carpz. lib. 2. Def. 218. Kizel. in *Synopsi matrim.* cap. 8. theo-
rem. 6. lit. g. Bardili *Conclus. Theor. Pr. Exerc.* 53. th. 22.
Quæ tamen nondum probata censetur ex alapa uxori inficta,
aut si uxorem pugno percussiverit, nam hæc correctionis spe-
cies sunt, quæ marito ob malos mores uxoris concessa est.
arg. L. un. C. de *Emendat. Propinquu.* Brunn. in *Jure Eccles.* l.
2. c. 17. §. 31. Sande *Decis. Frisic.* lib. 2. tit. 6. def. 1. in addit.
Sed

Sed & uxor rixosa huic separationi causam dare potest, si nempe in maritum continua maledictionibus invehatur, dies noctesque eum exagitent, ut mors ipsi sit solatium & vita supplicium. Nam hic valebit effatum Salomonis *Proverb.* *XXI. 9. Melius est sedere in angulo domus, quam cum muliere litigiosa ē in domo communi & v. 19. Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa ē iracunda.* Bardili d. *Disp. th. 14. Carpz. lib 2 def. 217.*

VII. Inter causas separandi conjuges refertur II. furor ferox & pernitosus. Maxima enim est domus calamitas, furiosum thori & mensæ socium habere, cum ex eo vitæ quoque periculum accedere possit. Carpzov. in *Pr. Crim. qu. 61. n. 39.* III. odium grave ac capitalis inimicitia Hoppe *disp. de Inimic capital. §. 46.* IV. lepra vel morbus gallicus, similes morbus capitalis, cum ipse Deus à consuetudine hujusmodi morbo infectorum abstinere jubeat *Levit. XIII. 14.* Bardili d. *disp. th. 19.* V. si conjux secreta thori propalaverit, quia hæc propalatio ad causam sufficit inimicitiae capitalis. Nisi quis forte necessitate vel conscientia commotus magistratui vel confessionario talia revelaverit. Dn. Wildvogel *Disp. de jure Thalami cap. 5. tb. 6.* Pro tali justa causa reputari nequit unius conjugis furtum, de quo expresso textu constat c. 2. X. *de divorcio.*

VIII. Quæsita ex aliqua harum causarum, & à judice imperata separatio non dirimit vinculum conjugale, sed id illæsum manet, & conjuges illi sunt, qui prius, quibus interdicitur, ne ad aliud matrimonium procedant Grot. in *Manuduct. ad Iprud. Holland. lib. 1. cap. 5. n. 30.* Leuwen in *Censura forensi P. I. lib. 1. cap. 15. n. 4. 17. 18.* & si de facto illud contraxerint, illud nullum fit Stryk d. l. *Seccl. 5. §. 30.* si autem aliquis horum separatorum cum alia persona concubuerit, adulterium ab eo committitur, Lauterb. d. l. *§. 30.*

IX. Præ

IX. Præter durans vinculum remanent quoq; alii matrimonii effe-
ctus. Nempe honorum communio, si statuto loci recepta, ex qua nemo
conjugum separatis suum lucrum veldamnum ferre potest. Hinc uxor
tenetur ex contractu mariti, & post obitum ejus æquè pati executionem
in bonis propriis, ac si nulla talis separatio intervenisset. Si nulla in loco
recepta honorum communio, vivente marito ex debito ejus in bona
uxoris propria æquè executio dirigi potest, ac si concors inter eos adhuc
duraret matrimonium. Joh. Voet. *Comm. ad ff. tit. de divorc.* §. 7.

X. Si in culpa sit maritus, quod hæc separatio intervenerit, ad ali-
menta uxori præstanda adhuc obligatus manet, quia causa durat eorum,
& quia adhuc retinet honorum sibi illatorum usumfructum. Beust. *de Ju-
re Connub.* P. 2. cap. 9. nisi velit illata uxori restituere, vel ad illa restitu-
enda à magistrato obligetur. Quod si tamen uxor nulla bona habeat,
vel illata & redditu ad illam alendam non sufficient, adhuc ad supplementum
ille tenebitur, quia uxor quoq; indotata alenda est L. 28. ff. *de Relig.
& sumpi. finer.* Carpz. lib. 2. def. 23. seq. van Leuwen d. l. n. 19. Et hoc de-
bitum alimentorum ad liberos quoq; pertinet, si mater eorum educatio-
nem sua curæ, ut potest, reservaverit L. 1. ff. *Ubi pup. educand.* Leuwen d.
p. 16. Uno ex his separatis decedente, superstes innocens in portionem
statutariam ei succedit, non etiam nocens, qui vgr. sua saevitia huic sepa-
rationi causam dedit. Stryk in *nota ad Brunn. Jus Ecclesiast. l. 2. c. 17.* §. 32.

XI. Effectus hi omnes, & qui alii sunt, obtinent, si prævio judicis
decreto conjuges ad hunc discessum venerint, & multo adhuc magis, si
sine illo & privata autoritate à se se invicem discesserint. Voet. d. l. §. 18.
Idcirco apparet, nostram separationem tantum ex larga quadam appellati-
one divorci nomen habere, propriè tale non esse, sed quandam fal-
tem temporalem & semiplenam separationem Carpz. lib. 2. def. 210 n. 4.
seqg. Ejus nec alijs effectus est, quam quod ad mutuam cohabitationem
quoad mensam & lectum separati non obligentur, sed possint seorsim
habitare. Finis autem ejus est, ut conjuges tædio vita solitaria respi-
scant, suos mores corrigan, & postea pacificè invicem cohabent. Pu-
fend. *de Jure nat. & gent.* lib. 6. cap. 1 §. 22. Qui finis tam per privatos, ut
Theologos aut cognatos, quam publicas personas, ut judicem, promo-
veri potest.

XII. Obtento hoc fine, & personis reconciliatis atq; sanatis à mor-
bo animi vel corporis, conjuges matrimonium continuare, & sibi invi-
cem ulterius cohabitare tenentur Carpz. lib. 2. def. 216. Cessante econ-
trario hoc fine, & si conjuges nullo modo reconciliari possint, ne tenta-
tionibus diaboli exponantur, ad incitas, desperationem aut plane ad ab-
negationem veræ religionis adigantur, illi quoad vinculum etiam
separandi sunt. Brückner P. 2. cap. 25.

ULB Halle
002 178 486

3



56



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Q. D. B. V.

DE

SEPARATIONE QUOAD THORUM ET MENSAM,

Occasione
c. 2. X. de Divortiis.

EXERCITATIO SABBATHINA VIII.

Partis Posterioris

Quam

SUB PRÆSIDIO

DN. SAMUELIS FRIDERICI
W. Z. L. E. N. B. E. R. G.
Doct. & Prof.

IN ATHENÆI GEDANENSIS AUDITORIO
ORDINARIO,

D. XXVIII. Febr. MDCCXXII. Hora XI.

Instituent

RESPONDENS

JOHANNES SIGISMUNDUS Schulz / Ged.

ET OPPONENTES

JOHANNES CHRISTIANUS Teplaff, Trept. Pom.

JOH. NICOLAUS Demchen, Gard Boruss.

GEDANI, Typis JOHANNIS DANIELIS STOLLII,
SENATUS ET ATHENÆI TYPOGRAPHI.